DE ROMAÑA SANCTI PETRI CATHEDRA

ORATIO

HABITA IN BASILICA VATICANA

XV. Kal. Februarias MDCCLIV.

A MARCHIONE BERNARDINO MUTI

PATRITIO ROMANO.

ROMÆ MDCCLIIII.

EX TYPOGRAPHIA GENEROSI SALOMONI
IN FORO S. IGNATII.

SUPERIORUM FACULTATE.

Sanctissimo Domino Nostro

BENEDICTO XIV.

PONT. OPT. MAX.

BERNARDINUS MUTI

FELICITATEM.



De Romanâ S. Petri Cathedrâ quam habui Oratiunculam tibi sisto, Beatissime Pater, *qui ipsius Apostolorum Principis perquam dignus Successor eandem occupas Sedem*,

præclariſque virtutum radiis exornas. Nulla me ratio potuit deterrere quin hoc tibi munus offerrem: quod etſi dicentis tenuitate ſpectata nullius plane momenti videri debeat, ex amplitudine tamen argumenti nonnihil ſplendoris deſumit. Neque eſt quod perhorreſcam ſupremæ quam ſuſtines dignitatis majeſtatem, cum omnem prorſus depellat timorem humanitas illa ſingularis, qua cæteræ tuæ dotes mirum in modum decorantur. Immo vero ex hac tua tanta clementia in eam ſpem erigor ut una cum modicæ facultatis primitiis meipſum quoque benigne ſuſcipias, tuoque ſemper patrocinio tuearis. Ad terram itaque pronus me meaſque omnes vitæ rationes confidentius tibi devovere non vereor: tuoſque ſanctiſſimos pedes deoſculans, enixe precor ut tua me digneris benedictione.

ORA-



ORATIO.



XALTETUR dextera Domini, & brachium ſanctum ejus, qui ſacram Beati Petri Sedem hic conſtitutam hic ſtatam voluit. Ipſe enim fundavit eam Altiſſimus in Montibus ſanctis exultatione univerſæ Terræ. Fundavit eam, & permanet (a), nec Portæ Inferi prævalebunt adverſus eam. Colluctandum equidem fuit nedum (b) adverſus Carnem, & Sanguinem, ſed adverſus Principes, & Poteſtates, adverſus Mundi Rectores tenebrarum harum; ut in hac altera Sion (c) Lapis iſte poneretur ſummus, angularis, electus, probatus, pretioſus. Quid contra non eſt molita ſuæ infenſa ſaluti (d) Civitas hæc magna ſedens ſuper ſeptem Montes, & Regnum habens ſuper Reges Terræ? Hæc, inquam, Civitas Mater abo-

(a) Matth. 16. 18.
(b) Epheſ. 6. 12.
(c) Iſ. 28. 16.
(d) Apoc. 17.

abominationum Terræ, & ebria de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine Martyrum Jeſu? Verum ad vocem loquelæ grandis exarſit ignis in ea; & clangentibus tubis Apoſtolicis prophani muri ejus illico corruerunt. Cecidit cecidit Babylon magna, & ſuper extructa eſt ſancta Civitas Jeruſalem nova deſcendens de Cœlo a Deo, Civitas Sacerdotalis, & Regia (*a*), cujus fides annunciatur in univerſo Mundo. Filia Babylonis miſera (*b*) ſcriptam in fronte blaſphemiam Chriſti confeſſione delevit. Squallet Capitolium: Templa Jovis, & Cæremoniæ conciderunt. (*c*) Eſt hic ſancta Eccleſia, ſunt Trophæa Apoſtolorum, & Martyrum, eſt Chriſti vera confeſſio, eſt ab Apoſtolis prædicata Fides, & Gentilitate calcata, in ſublime quotidie ſe erigens vocabulum Chriſtianum. Unde nam vero in hac Urbe Mundi Domina tanta, & tam ſubita fidei lux? (*d*) Nonne hic conculcandæ Philoſophiæ opiniones? hic diſſolvendæ erant terrenæ Sapientiæ vanitates? hic confutandi Dæmonum cultus? hic omnium Sacrilegiorum impietas deſtruenda? Quæ autem manus excelſa fecit hæc omnia? Dextera Domini fecit virtutem. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Et eo quidem mirabilius quo viliora per inſtrumenta adeò præcelſam Eccleſiæ ſuæ potuit conſtruere Domum. (*e*) Quia non multi Sapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles,

ſed

(*a*) Rom. 1. 8.
(*b*) S. Hier. lib. 2. adv. Jovin.
(*c*) Id. Ep. 17. ad Marcellam.
(*d*) S. Leo Pap. in Nat. SS. Ap. Pet. & Paul. Serm. 1.
(*e*) I Cor. 1. 26.

ſed quæ ſtulta ſunt Mundi elegit Deus, ut confundat Sapientes, & infirma Mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia Mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret. Teſtis eſt Simon Petrus, qui piſcationis arte (a) humanæ vitæ alimoniam quæritabat. Pauper erat, non ſplendore nobilitatis inſignis, non Scripturarum gnarus, neque ingenii acumine pollens. Et tamen Sancti Spiritus dono præventus legem docuit, prædicavit Evangelium, miraculis fulſit, atque Sacerdotalis dignitatis hodierna die tenuit arcem. O idiotæ miraculum, o illitterati ſapientiam ſedentis ſuper Cathedram honoris! O Solium excelſum, & elevatum ſuper Piſcatorem Domini voce fundatum! Ad te loquar Fidei Sedes ſtabilis, una ſalutis Ara, Novi Teſtamenti Arca, & Propitiatorium. Ex quo Senatus ille Apoſtolici Princeps, ac vertex (b) & cæleſtis prædicationis doctrina, & pii te ſanguinis effuſione fundavit, factus eſt in pace locus tuus. Dominus quippe cuſtodit Te, Dominus protectio tua eſt. Cuſtodit te ut pupillam oculi, ſub umbra alarum ſuarum protegit te. Et ſi quando aſtiterunt Reges Terræ, & Principes convenerunt in unum, ut te de loco moverent tuo, qui habitat in Cœlis irriſit eos, & Dominus ſubſannavit eos, ſecundum magnitudinem brachii ſui confringens potentias arcuum, ſcutum, gladium, & bellum. Nec com-

(a) S. Laur. Juſtin. in ſolemn. SS. Ap. Pet. & Paul.

(b) S. Maxim. Ep. Taurin. in Feſt. SS. Apoſt. Pet. & Paul. Hom. 2.

commoveberis in æternum in adjutorio Altiſſimi conſtituta, atque in protectione Dei Cœli. In opportunitatibus, in tribulatione ipſe mittet tibi auxilium de Sancto, & de Sion tuebitur te, donec ponat inimicos tuos ſcabellum tuum.

